

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level Two Medieval Latin Examination

11 September 2009

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Fulbert of Chartres tells Archbishop Leuthericus of Sens to butt out (1021)

Patri ac primati suo Leutherico Fulbertus episcopus:

Gratias ago uigilantiae tuae quae meae simplicitati praemonitorium facit. Vere enim indigeo premoneri de multis propter meae indiscrecionis seu negligenciae morbum. Verum in hac causa qua de nunc agis, id est ne quibuslibet episcopandis cito manus imponam, opus non esse arbitror monitore. Nam et si tu in isto negotio consilio meo (ut decuerat) hactenus uti uoluisses, et ordo noster et tua res aliter processisset. Sed omitto preterita; de futuris uero plurimum bonae spei capio ex eo quod nunc cum uiris sanctis ac sapientibus agis, patrem nostrum Odilonem loquor et asseculas eius. Consilio enim illorum spero te non solum animae periculum euadere, sed etiam huius uitae gloriam et honorem posse recuperare. Vale memor mei, tibi in omnibus bonis obedire et opitulari parati.

2. Benedict XII on the beatific vision (1336)

Hac in perpetuum valitura Constitutione auctoritate Apostolica diffinimus: quod secundum communem Dei ordinationem animae sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptismum susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae . . . mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum et iudicium generale post ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in caelum fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum regno et paradiso caelesti cum Christo, sanctorum Angelorum consortio congregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente.

3. The Bardi bank crash of 1343 (Leonardo Bruni, *Historiae Florentini populi*)

Bardorum erat familia omnium locupletissima, permagnas multis in locis societates habens. Haec summa et indubitata fide cum apud cives exterosque ad eam usque diem fuisset, ac multorum ut fit pecunias in manibus haberet, repente inopinatoque decoxit. Causa vero huius fuit quod, surgentibus tunc maxime inter Francorum Anglorumque reges bellis, quidam eius societatis magistri in Britannia degentes, credita regi Anglorum intolerabili pecunia, eo rem adduxere, ut necessarium fuerit fidem societatis abrumpere. Fracta igitur societate, creditores cum reliquiis persequerentur, compertum est auri supra quinquies centena millia privatis nominibus societatem debere; mutuo autem regi data circiter septies centena millia, in quibus et propriam societatis pecuniam et eorum qui societati crediderant absumptam constabat. Ea res inopinata et gravis, cum multorum patrimonia afflisset, traxit post se ruinam minorum societatum, cum ob varia damna quibus singulae implicatae erant, tum quod, ortis apud omnes suspicionibus, ad reposcenda sua quisque credita properabat. Decoquentibus itaque permultis, inaestimabilem iacturam civitas subivit, fidesque angusta in foro omnia perturbabat.

4. Venantius Fortunatus celebrates the marriage of King Sigibert, spring 566.

Vere novo, tellus fuerit dum exuta pruinis,
se picturato gramine vestit ager,
longius extendunt frondosa cacumina montes
et renovat virides arbor opaca comas.
Promittens gravidas ramis genitalibus uvas
palmitum gemmato vitis amoena tumet.
Praemittens flores gracili blandita susurro
deliciosa favis mella recondit apes;
progeniem reparans casto fecunda cubili
artifices natos gignere flore cupit.
Nexibus apta suis pro posteritatis amore
ad fetus properans garrula currit avis.
Semine quisque suo senio iuvenescit in ipso,
omnia dum redeunt gaudia mundus habet.
Sic modo cuncta favent, dum prosperitate superna
regia caesareo proficit aula iugo.
Ordine multiplici felicem in saecula regem
undique cinxerunt lumina tanta ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad unum,
Mars habet ecce duces, pax habet ecce decus.